

bus admodum harum uvarum avidis, die Muscateller / sa-
poris peregregij jucundissimique vinumque admodum gra-
tum fundentes, quamvis etiam quidam ex poëtis hos de illis
canat versus;

Cum referam Moschum merito Muscatula dicor,

Ex me ne quæras pocula, quære cibum.

Et hæ sunt præcipuæ, quæ in nobilissimo regionis nostræ
tractu reperiuntur species, quas, præsertim cum perfecte ma-
turuerint, homines avide quandoque comedere quidem, in-
terim tamen pro vino exinde eliciendo potissimum inservi-
re constat. Nam postquam mortales Bacchi ex vitibus opes
depopulati sunt, tempore autumnali debito, quando videli-
cet, si acinus prematur, vinaceus exilit nudus, citra omnem
carunculæ complexum, ex contufis in labro vinario, con-
culcatis, torcularique subditis uvis exprimitur succus sapo-
rem ob partes salinas ab oleosis nimis adhuc ligatas minus-
que exaltatas, dulcem præ se ferens, quem Mustum den
Most / den Weinmost / appellitant quod mustum duplicis
rursus est generis, aliud præstantius generosiusque, quod in
lacum fluit, priusquam uvæ sint calcatæ aut pressæ, mustum
lixivum, protropium der Borschus / der Vorlauff / der
Tropffwein dictum, cum quo in quibusdam locis etiam
commiscetur, quod pedum vi aliquali exprimitur ex uvis,
quo de Tibullus & Propertius canunt dicentes :

Aurea cum pressos pedibus dat uva liquores.

vel:

Cum nova pressantes inquinat uva pedes.

Sachsius appellat den Mitteldruck. Aliud vero est mustum
secundarium, quod prelo exprimitur, hinc tortivum dictum,
der Nachdruck / de vinaceorum, follicorum, scaporum natu-
ra participans. Generosissimum mustum in vinum
quoque generosissimum transiens fit, si omnes baccæ à sca-
pis decerpantur, wann man die Trauben abbeert / illæque so-
læ in folio contundantur, sicque simplici conquassatione suc-
cus eliciatur. Ita experientia teste ex uvis Marlenheimensi-
bus